



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.  
XII**

**Caesarius <Heisterbacensis>**

**Antverpiae, 1605**

De canonico quodam Coloniensi, qui antequam indueret habitum, resiluit,  
cap. 11.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

*Solo in-  
stantu  
demonis  
conuerſi.  
Vita S.  
Bernardi  
l.1.c.13.*

**L**E GIT VR in vita iam dicti patris, tempore quo-dam venisse ad Clarāuallem magistrum Stephānum de vitreio, virum magnæ scientiæ, vt puta-batur, gratia conuersionis, de cuius aduentu cùm tota vallis exultaret, personam tanti viri considerans, beatus Bernardus in hæc verba prorupit: Diabolus eū adduxit; solus venit, solus reuertetur. Ad hoc enim venerat, vt quosdam nouitios, quos in literatura ipse informauerat, ad sæculum reduceret. Ne sanctus pa-ter scandalizaret pusillanimes, hominē recepit, quem non perseveraturum sciebat, vt nouitus fieret con-sensit. At spiritus malignus, cùm toto illo anno per os sui mancipij in aure nouitorum fibilaret, nec profi-ceret, quem ad illorum ruinam adduxerat, solum, se-cundūm prophetiam viri Dei, cum multa confusione reduxit. Audi & aliud exemplum de vicino.

## CAPVT X.

**V**ENERVN T ad nos duo sacerdotes girovagi, ingressum petentes, de quorum perseuerantia cùm penè nulla esset nobis spes, negatum est eis quod postulabant. Vno discendente, alter, cui no-men erat Gosuinus, importunitate sua vt recipere-tur obtinuit, qui vix per sex hebdomadas in probatio-ne stetit. Et nocte quadam infra matutinas, mandatis eius qui eum adduxerat obediens, cum furto recessit. APOLLONIVS: Fortè simplici intentione venit. CÆSARIVS: Nequaquam: cùm adhuc cum socio suo esset in hospitio, & paterentur difficultatem in recipiendo, dicebat alter ad alterum; Sine, licet modò nobis sint graues, tamen eos decipiemos. Hoc quidam Conuer-forum nostrorum illis ignorantibus audivit. Non-nulos conuersti ex quadam leuitate animi, sæpius ex-pertus sum.

## CAPVT XI.

*Leuita-  
tes animi  
conuerſi.*

**V**ENIT ad nos adolescens quidam canonicus in Colonia, magis, vt postea rei exitus proba-uit, ex quadam leuitate mentis, quàm deuo-tione conuersionis, qui suum nobis aperiens proposi-tum,

tum, iuuenibus nostris maximè, non paruum fecit gaudiū. Dominus Geuardus Abbas noster intelligens solam in causa esse leuitatem, eo quòd delusisset vestimenta sua, sola quippe tunica indutus venit, cùm tamen satis rogaretur luscipere iuuenem, non consenserit: qui mor eadem via, qua venerat, redijt, nec aliquando postea alicuius conuersionis mentionem fecit.

## CAPVT XII.

**A**LIVS quidam adolescens bene natus, & diuitum filius, ad nos parentibus ignorantibus venit, & ut recipetur facilè obtainuit; nolo enim nomina tam huius quam supradicti exprimere, sperans adhuc eos reuersuros, ne forte ex hoc patiantur confusione. Factus itaque nouitius, vix tribus vel quinque diebus elapsis, venerunt amici eius dolentes, & ut reuerteretur ad seculum, plurimum verbis exhortantes. Nouerant eum quandam summam pecuniae perdidisse, nescio quo ludo, & magis ex dolore quam deuotione conuersum: & cùm non proficerent, suaserunt ut debita sua solueret, & statim rediret: sicque, non vi sed dolo ab amicis extractus, non est reuersus. Et cùm solenne votum fecisset inter manus domini Abbatis, & propter hoc coram clero ab eo tractus fuisset in caufam, per litteras Legati, alijsque modis, quibus potuit, se defendit, asserens se conuersum ex quadam leuitate, & turbatione animi; quod si verum non esset, exemplum domini Henrici Abbatis nostri imitatus fuisset. APOLLONIVS: Hoc quid sit audire delectat.

## CAPVT XIII.

## CÆSARIUS.

**I**N Ecclesia Bonnensi idem Henricus canonicus fuit, plures habens redditus; inspirante Deo, fallax seculum occulte deseruit, & desiderio ordinis Cisterciensis accensus, ad domum nostram conuersionis gratia venit. Cùm adhuc esset in hospitio, duo milites fratres eius fugam eius intelligentes, & sicut homines secu-